

ΠΡΟΓΥΜΝΑΣΜΑΤΑ
ΓΡΑΜΜΑΤΙΣΤΙΚΑ,

SIVE

PRAEEXERCITATIONES GRAMMATICAE,

IN QUIBUS ENUCLEABUNTUR

LINGUAE GRAECAE RUDIMENTA

In Complutensi Academia

A BACC. D. JOSEPHO JONSANSORO ET SERRALTA
*sub auxiliô P. Fr. MICHAELIS AZERO, Ordinis
Carmelitarum, ac ejusdem linguae Cathedrae
Pro-Moderatoris.*

DIE MENSIS JUNII M. DCC. LXXIII.



MATRITI.



Apud JOACHIMUM IBARRA, Regium Typographum.

ΠΡΟΤΥΜΝΙΑΖΜΑΤΑ

ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΑ

ΣΙΝΕ

ΠΡΑΞΕΡΧΙΤΑΙΟΝΕΣ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΑΙ

ΙΝ ΚΥΒΙΣ ΕΝΚΛΕΑΒΟΥΝΤΑΙ

ΛΙΝΓΥΑΙ ΓΡΑΙΕΑΙ ΡΥΔΙΜΕΝΤΑ

ΙΝ ΚΟΜΠΟΥΣΙ ΑΚΑΔΕΜΙΑΙ

Α ΒΑΟ Δ. ΙΟΕΡΦΟ ΙΟΝΑΝΟΡΟ ΕΤ ΣΕΡΑΛΤΑ
ΣΥΒ ΟΥΧΙΟ Ρ. Π. ΜΙΧΑΗΛΙΣ ΜΕΤΡΟ, ΟΥΔΙΝΙΣ
ΚΑΝΟΝΙΣΜΟΝ, ΟΙ ΕΠΙΣΤΗΜΗ ΚΑΙΝΗ ΚΑΙΝΟΝΕΣ
ΠΡΟ-ΜΕΤΕΤΕΡΟΝ.

ΔΙΕ ΜΕΝΣΙΣ ΙΟΥΝΙ Μ. ΔΟΟ. ΛΑΧΙΙ.



ΜΑΤΡΙΤΙ

ΑΠΟ ΤΟΝ ΤΥΠΟΝ ΤΗΣ ΕΚΔΟΣΕΩΣ ΤΗΣ ΕΚΔΟΣΕΩΣ

Handwritten text at the bottom of the page, likely a library or collection stamp, including the name 'Bibliothèque de la ville de Paris'.



JUVENTUTI ACADEMIAE COMPLUTENSIS

ELEGANTIORUM LITTERARUM

ET IN PRIMIS GRAECARUM STUDIOSAE

S. P. D.

JOSEPHUS JONSANSORO ET SERRALTA.

Quantum utilitatis in omnibus scientiis Graecae linguae notitia afferat, juvenes egregii, dilectissimique sodales, nullus ferè qui eâ vel mediocriter sit initiatus, ignorat, multique viri undecumque docti scriptis suis tradidere; quos si vel summatim recensere vellem, longius, quam par esset, nostra excurreret oratio. Itaque eâ de re longum sermonem habere supersedebimus, tum quod actum agere videremur, tum vel maximè quod quibus otium fuerit eorum libros facillimè consulere poterunt. Illud autem silentiò praetereundum non est, quò tempore Hispania nostra optimis in litteris feliciter florebat maximos Theologos, gravissimosque Jurisconsultos, atque Philosophos fuisse Graecae linguae peritissimos callentissimosque, qui sanè neque ad summum

scientiarum fastigium, neque ad tantam lau-
 dem pervenissent, nisi graecarum litterarum
 praesidio fulti. Quam igitur viam nobis isti
 gravissimò judiciò viri praeiverunt, eam ala-
 cri animò & nos sequamur, neque iis diffi-
 cultatibus, quae nobis incipientibus objici so-
 lent deterreamur, aut ab hujus linguae stu-
 diò revocemur; quas quidem tantas non esse,
 quantas plerique imaginantur, praesenti exer-
 citatione vobis ostensurum spero. Valete igitur
 & ἀγαπώμεθα haec, quae vobis libentissimè
 offero, amoris erga vos mei veluti perpetuum
 pignus habete.



D. O. R.

DE LITTERIS.

§. I.

LITTERAS apud Graecos esse tantum viginti quatuor omnibus est compertum. Tria litteris cujusque linguae accidunt: figura, scilicet, nomen, & potestas. Figura enim id nec dubie est quod certis lineamentis, atque tractibus litterae corpus depingit. Nomen est ipsius elementi appellatio. Potestas verò litterae ipsius valorem pronuntiatione indicat. Multiplex quidem certè, & varia est cujusque litterae figura; cujus varietatem colliges ex elementalibus libellis, qui vulgi manibus quotidie teruntur. Capitalis, & primaria omnium litterarum Graecarum divisio est, ut illas findamus in vocales septem & in septemdecim consonantes. Vocales deinde subdividimus in longas η , ω , in duas breves ϵ , o , in tres ancipites α , ι , υ . ϵ , o , producuntur positione. Fit autem positio, ut apud Romanos, quando post vocales natura breves duae subsequuntur consonantes, aut littera duplex: ut $\epsilon\rho\kappa\theta$, $\delta\rho\mu\eta$: $\phi\lambda\epsilon\psi$, $\delta\zeta\omega$. Ancipites sive communes Graecis dicuntur

tur τα δίχρονα φωνήεντα, id est, bi temporeae vocales; non ideò quod ad cuiusvis arbitrium, ut quidam existimant, in unâ, eâdemque dictione, & produci, & corripì queant, sed eò modò δίχρονα esse quò omnes vocales apud Latinos: ita quod in hâc dictione omninò producantur in illâ corripiantur, hoc est, nunc brevem, nunc longam constituentes syllabam. Rursum subdividimus vocales in mutabiles, & immutabiles; quaenam illae, & quare id nominis sortitae sint? referam interrogatus.

DE DIPHTHONGIS.

§. II.

EX simplicibus vocalibus coalescunt, & conflantur οἱ δίφθογγοι. Communiter numerantur duodecim, dividunturque a Grammaticis in proprias, & improprias. Propriae dicuntur illae quòd naturalis pronuntiatio eas postulet: quippe quae eò quò scribuntur modò & proferuntur, aut certè proferri debent. Impropriae contra sic dicuntur, quod pronuntiatio naturalis illas non requirat. Has verò dividimus in ἀφθόγγους, & κακοφθόγγους, sive malis in ἀφώνους, & κακοφώνους. Vocitantur ἀφώνοι, hoc est, mutae, seu obmutescentes; quasi *asonas* vocares, si dictio latina cum graeca compositionem reciperet: dicuntur enim quasi ἀνευ τῆς φωνῆς, quod voce careant saltem diphthongata. Reliquae ob duriusculam,

lam, minusque auribus delicatis alioqui lenocinantem ipsarum vocem, non injuria κακοφωνοι nuncupantur, quasi *malesonas* dicas. Dum enim ut decet, proferuntur, durum quid auribus insonat, & nescio quid (ut ita dixerim) Gotthicum auribus injucundum, si cum suave, jucundaque Diphthongorum propriarum pronuntiatione conferantur. De aliis vocalium divisionibus, in Circô dicam, si volueris. Nunc jam ad consonantes noster accedat sermo.

DE CONSONANTIBUS.

§. III.

DIximus consonantes secundam constituere partem generalis divisionis litterarum apud Graecos, quae profectò subdividendae sunt in mutas, duplices, & liquidas. Mutas denuò in tenues, medias, & adspiratas subdividimus. Mutarum etiam quaedam sunt labiales, quoniam beneficio labiorum pronunciantur, ut β, ϖ, φ: quaedam verò dentales quoniam in earum pronuntiatione dentes premuntur, ut δ, θ, τ: aliae demùm Palatinae, siue gutturales, quòd aère e gutture erumpente pronunciantur, ut γ, κ, χ. Tenues ideò sic nuncupantur, quòd sine ullò spiritu densò, ac sibilante proferantur. Adspiratae contra quia cum spiritu crasò, densò, spumosò, & cum sibilò proferan-

tur. Mediae autem cum utrisque extremis ita consentiunt, ut nec prorsus spiritu careant, nec prorsus ad spumoseum flatum adspiratarum accedant. Istae haec autem mutarum oppositio inter se ideò fit, quia aliae in alias saepissimè migrant, ut facile conjicere licet in deductione aliorum temporum, ex aliis in conjugatione verborum. Haetenus de mutis.

DE LIQUIDIS.

§. IV.

QUatuor sunt liquidae Graecis λ , μ , ν , ρ : totidem Latinis. Sed Graecis praeterea immutabiles vocitantur, quòd non mutantur, migrentve in alias consonantes, neque in declinationibus nominum, neque in verborum conjugationibus, circa quod exempla pete, si placet. In consonantium subdivisione omittimus σ , quod non sit de classibus mutarum, duplicium, liquidarum: non enim muta est, quia neque tenuis, neque media, neque adspirata. Ad haec non duplex, cum non equivalenceat duabus simplicibus consonantibus: nec tandem immutabilis, cum in casu gignendi plerumque mutetur in τ , δ , θ ; ut $\lambda\epsilon\beta\eta\varsigma$, $\lambda\epsilon\beta\eta\tau\theta$: $\mu\omicron\nu\alpha\varsigma$, $\alpha\delta\delta\varsigma$: $\omicron\rho\nu\iota\varsigma$, $\theta\theta$. Proinde σ a quibusdam $\mu\omicron\nu\alpha\delta\iota\kappa\omicron\nu$, id est, sui cuiusdam juris, ac suae potestatis dicitur: a quibusdam verò $\alpha\sigma\eta\mu\omicron\nu$; id est, sine notâ, & signò, quod aliarum consonantium notas inustas habeat

mi-

minimè: nempè ut vel muta dicatur, vel duplex, vel liquida; sicuti in grege ovium caeteris ovibus signatis, si earum aliqua non sit eòdem quò aliae signò insignita, & notata, illa vocatur οἷς ἀσημῶ, quasi nullò signò signatam ovem dicas.

DE SPIRITIBUS.

§. V.

DUO sunt apud Graecos spiritus. Asper, sive densus, qui praefixus litteris pars est media circuli integri, ac veluti semilunium, cujus cornua explicentur in dexteram: pars verò gibba, & circumferentia in sinistram: ut Οἰμῆς. Tenuis, sive lenis est altera pars circuli integri, aut semilunii, cujus cornua ad sinistram: circumferentia verò cum gibbâ ad dexteram vergant: ut ἀνδραπῶς: ut ἐν παρῶν nonnihil de pronunciatione quoque spiritum dicamus, quae haud dubiè silentio praetereunda minimè videtur, animadvertas licèt spiritum asperum Graecorum cum suis vocalibus, haud secus proferri atque ה he litteram Hebraeorum cum punctis vocalibus: ut apud Latinos h, quae nota dumtaxat est aspirationis praefixa vocalibus, ut ha, he, hi, ho, hu, e contrariò verò spiritus tenuis Graecorum profertur; ut א aleph Hebraeorum cum suis motionibus, sine ullò videlicèt spiritu, flatuve densò, atque adeo haesitante, ut

in η he in gutture. Vel dicas tenuem spiritum Graecorum proferri eò modò, quo Latini vocales suas sine h nota adspirationis pronunciant; ut a, e, i, &c.

DE ACCENTIBUS.

§. VI.

QUANTUM Grammatici hortantur linguae Graecae studiosos, ut accentus diligentè observent; tantum nos monemus, ut eos penitùs negligant, agantque eòdem prorsùs modò, ac si accentus nunquam fuissent. Quare accentus omninò rejicimus, ac tanquam inutiles penitùs eradi oportere existimamus. Tùm quia etiam si per eos veram, & antiquam pronunciationem possemus assequi, nihil nobis prodesset: tùm quia id ipsum jam sperare non licet. Sed quidquid sit de naturâ, fine, & destinatione accentuum; illud certum est: nihil jam ex eorum usu nisi grave damnum pronunciationi posse obvenire. Unde qui legit secundùm accentus, tot ferè quantitatis errores committere, quot verba legit, necesse putamus. Verum enimverò quis non videt valdè absurdum esse, legere juxta accentus Διάφορος, Μάθησις, penultima brevi; & contrà Δημοσθένης, Θεολόγος, penultima longa? Quod autem docent aliqui Grammatici: Graecos in suis vocalibus legendis, & efferendis, non quantitatis, sed accentus rationem habere; si intelligant de vete-

ribus Graecis; id planè falsum est, & absurdum.
 Nam, ut benè Bibliorum Complutensium Editores
 doctissimi observant in Prologò, accentus recentes
 sunt, linguae Graecae adventitii, & peregrini. Ita
 illi: " Antiquissimos Graecos absque hisce fastigiis
 »litterarum scriptitasse notius est quam ut sit mul-
 »tis argumentis comprobandum. Docent enim id
 »aperte antiqua non pauca exemplaria: ut Cal-
 »limachi poemata: necnon sibyllina Carmina, ac
 »preterea etiam marmorea monumenta vetustissi-
 »maque Rome adhuc visuntur nudis solum carac-
 »teribus incisa, ut liquido constet hujusmodi vir-
 »gularum apicumque suprascriptiones non in illa
 »primeva Grece Lingue origine fuisse excogitatas:
 »nec ad ejus integritatem usquequaque pertinuis-
 »se. Cum igitur Universum novum Testamentum
 »preter Evangelium Mathei, & Epistolam ad He-
 »breos Grece primum, sicut a Spiritu Sancto dic-
 »tatum est; scriptum esse constet: visum est pris-
 »cam in eo linguae illius vetustatem majestatemque
 »intactam retinere, ac opus ipsum pretermis-
 »etiam ipsis quibusvis minimis appendiculis excus-
 »sum ad imaginem antiquarum scripturarum pu-
 »blicare. Nè rei tam sancte authoritati ac veneran-
 »de majestati adjectitiis novitiisque rebus detri-
 »mentum afferri videretur. Accedit quod si verum
 »fateri volumus: hic spirituum tonorumque defec-
 »tus nullum prorsus impedimentum ad rectam in-
 »tel-

intelligentiam afferre valet." Deindè cum quantitas nihil sit aliud, quam pronunciandi mora vel longior, vel brevior; si hanc moram non observassent veteres Graeci, nullam habuissent quantitatem, distinctam ab accentibus. Quod ne isti quidem Grammatici fateri velint, cum Graeci, hanc solâ quantitate versus suos metiantur. Si autem id intelligant de recentioribus Graecis, assertum nostrum confirmant; perversam scilicèt, & profligatam ab accentibus quantitatem fuisse. Quamobrem, accentus faciles fore juxtâ ac utiles judicamus: si in meliorem usum aliqua solers, ac industriosa manus illos converteret; quod jamdudum de accentibus latinis factum est. Videlicèt ut circumflexus adhiberetur tantùm in contractionibus. Acutus in syllabis quae legendô longae efferri debent. Gravis denique ad distinguenda adverbia, & alias hujusmodi particulas ut φιλω contractum ex φιλεω, μόλυω contamino, ὁμοθυμαδὸν unanimiter.

DE PARTIBUS ORATIONIS.

§. VII.

Quamquam aliqui doceant partes orationis Graecae tantum esse octo; nos tamen cum plurimis novem esse affirmamus. Apud Romanos sunt: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Praepositio, Adverbium, Interjectio, Conjunctio. Ad praedictas

Latinae orationis partes Articulum addit idioma Graecum. Interjectionem namque cum adverbio, ut aliqui volunt, confundere non debemus. Ἄρθρον Graeci articulum vocant, & ut auctor est Moscopulus, deducitur ab ἀρτῶ, quod est coapto, compingo, & cohaerere facio, quòd hòc articulò membra orationis coaptentur, cohaereant inter se, & compingantur: Nominum praeterea & casus, & genera dignoscantur. Minutissima quidem certè orationis particula est articulus, sed ejusmodi ut si eam tollas, nihil integrum, nihil sonaveris decens. Quemadmodum enim haec corporis nostri moles articulis roboratur, vegetatur, & compingitur: sic articulis orationis partes alioqui dissitae, & discriminatae, compinguntur. Idioma autem Romanum articulos ignorat, quippe quòd nec voce quidem ulla Graecorum articulorum exprimere, ac reddere queat. Caeterum quod Grammatici Latini nominum declinandorum casibus praefixerunt hic, haec, hoc, id nec dubiè docendi gratià fecerunt: non quòd Latinus sermo illos habere articulos: Hispanus sermo articulos habet, atque adeò Graecanici articuli vim exactè noveris e nostrò idiomate Hispanò, ut si Graecus dixerit: ἡ ἐσθῆς τοῦ Πέτρου; Hispanus suò idiomate sic reddet, *la ropa de Pedro*: Romanus verò: *vestis Petri*, sine expressione articulorum, & Graecanicorum, & Hispanorum. A superiore oratione Graecà exime articulos ἡ, & τοῦ
nihil

nihil decentius sonabis, quàm si dicas Hispanicè: *ropa Pedro*, sine articulis *la*, & *de*, id quod ineptum prorsus apud Hispanos fuerit. Non perpetuò tamen Emphatica erit apud Graecos particula articulus aliquando addetur, aliquando verò detrahetur venustandae orationis gratiâ. Sex sunt casus ut Latinis. Multi tamen Ablativum respuunt, quia semper ille Dativo similis est: verùm illum admittere videtur ad explicandam Syntaxim magis commodum. Instrumentum enim, locus, causa, aut modus propriè, ac verè Ablativum postulant. In omni linguâ sonat in sextu casu illud Psalmi 10. *ἐπι τῷ Κυρίῳ πεποιθῆ*: *In Dominò confido*. M. Tull. Cic. utitur etiam verbis Graecis in Ablativò: ut videre est in *l. 1. ad Attic.* ubi ait: *Quasque Historias de ἀμαλθειας habes, ad me mittas*. In *l. 2.* dicit enim tanquam in Platonis *πολιτεια*.

DE DECLINATIONIBUS.

§. VIII.

Decem sunt apud Graecos nominum declinationes, quae dividuntur in quinque declinationes nominum simplicium, hoc est simplici formula, & sine ullâ contractione declinatorum, & in quinque contractorum nominum inflexiones. Intelligas tamen oportet quinque ordines contractorum ortum ducere a quintâ simplicium inflexione formante Ge-
ni-

nitivum in *os* purum, & reliquos item casus in terminationem puram. Contracta nomina sunt ea, quae vel Synaeresin, vel crasin patiuntur, & ob id a Graecis illa ἐμπαθη, hoc est passa, seu affecta vocitantur. Alia verò ἀπλα, & ἀπαθη; id est, simplicia, & impassa nominantur. Et ut quod res est summatim dicamus, nulla neque nomina, neque verba dicuntur contracta, nisi quatenus passa vel crasin, vel Synaeresin, ita ut in nominibus voces omnes incontractae sint planè quintae simplicium nominum declinationis; ubi verò receperunt contractionem, tùm fiunt, alicujus classis contractorum nominum. Idem de verbis judicium. Quatuor priores simplicium vocantur etiam parisyllabae, id est, non crescentes in obliquis: Quinta verò imparisyllaba, sive in obliquis crescens. Aliqui Neotericorum putant quaedam nomina in *us* primae declinationis communis esse generis. Nos verò frequentiore usum approbantes facilius subscribimus opinioni Theodori Gazae, & Demetrii Chalcondylae, aliorumque priscorum, ac primariae classis Grammaticorum, qui omnia primae declinationis nomina, sive simplicia sint, sive composita, sive derivata, sub utrâque terminatione *as* & *us*. Masculina esse censent, ut omnia secundae sunt foemineae. Idcirco si a nominibus primae foemineae nos deducere vellis, illâ ex primâ, masculinorum propria derivabimus, vel in secundam, vel in quintam,

tam, prout nomini congruet magis, & quadrabit, ut ὁ ψαλτης, ὄ, η, ψαλτρια, ας: ὁ πολιτης, ὄ, η πολιτης, πολιτιδος. Caetera huc spectantia quaere in agone.

DE CONJUGATIONIBUS.

§. IX.

Verba dividimus in tres classes. Prima est verborum simplicium in ω, quae vocantur βαρυτονα. Secunda est verborum contractorum in ᾠ quae vocantur circumflexa; & haec formantur ex verbis simplicibus, quemadmodum nomina contracta ex nominibus simplicibus. Tertia est verborum in μι, quae sic vocantur a terminatione, formanturque pariter ex simplicibus. Quatuor Barytonorum conjugationes cum Eduardō Wettenhal tantum admittimus. Totidem namque sunt differentiae futurorum. Prima conjugatio complectitur verba in πω, βω, φω, πτω: quorum futurum exit in ψω; praeteritum in φα. Secunda autem verba in κω, γω, χω, σσω, ττω, quorum futurum exit in ξω, praeteritum in χα. Tertia, quae terminantur in τω, δω, ζω, θω, & ω puro, quorum futurum est in σω, & praeteritum in κα. Quarta denique habet verba finita in λω, μω, νω, ρω, μνω, quorum futurum retinet characteristicam, sive figurativam praesentis, additō circumflexō, praeteritum autem in κα. Διαθεσεις, id est, dispositiones verborum, formulae videlicet con-
ju-

jugandi, ac figurae tres sunt in verbis barytonis, & circumflexis: nempe ω activorum, $\mu\alpha\iota$ passivorum, $\mu\alpha\iota$ mediorum. ω dispositio activa est, id est, quaedam conjugandi formula quâ per omnes modos, omnia tempora, & omnes personas facilis notio est, quae terminatio activa sit: ut $\gamma\rho\alpha\phi\omega$, $\epsilon\iota\varsigma$, $\epsilon\iota$, dispositionis activae sunt quia ex ω deducuntur. De passivorum, & mediorum dispositione itidem est judicandum. Appellatione dispositionum Demetrius $\tau\alpha\ \gamma\epsilon\mu\eta$, id est, genera verborum intelligit. Sed ex hac nostrâ divisione dispositionum, si dispositio pro genere sumatur, palam est, aliam esse rationem generum apud Latinos, & aliam apud Graecos. Genera latina verbi significationem explicant: Graeca verò pro dispositionibus sumpta, ductum sive filum conjugationis indicant. Quod si Graecorum genera non pro dispositionibus sumas, sed Latino- rum more illa quatenus verbi significationem explicant, consideres, multo plura nec dubiè verborum genera apud Graecos reperias, quàm apud Latinos, ut ex alterâ hac divisione patebit hõc modo: $\gamma\epsilon\mu\eta$ $\acute{\epsilon}\nu\epsilon\rho\gamma\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, id est, genus activum, ut $\tau\upsilon\pi\lambda\omega$: $\pi\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, id est, passivum, ut $\tau\upsilon\pi\lambda\omicron\mu\alpha\iota$: $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\tau\epsilon\epsilon\rho\nu$, id est, neutrum; ut $\zeta\omega$: $\kappa\omicron\iota\nu\omicron\nu$ $\acute{\epsilon}\iota\tau'$ $\acute{\epsilon}\nu$ $\mu\epsilon\sigma\sigma\omicron\nu$, id est, commune, sive medium: ut $\beta\iota\alpha\zeta\omicron\mu\alpha\iota$. Per se activum, sive deponens graecè $\acute{\alpha}\upsilon\tau\omicron$ $\acute{\epsilon}\nu\epsilon\rho\gamma\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, η $\acute{\alpha}\pi\omicron\theta\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, ut $\mu\alpha\chi\omicron\mu\alpha\iota$, id est, pugno: $\acute{\alpha}\upsilon\tau\omicron\pi\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, id est, per se passivum ut $\pi\alpha\chi\omega$, patior: $\acute{\omicron}\lambda\omicron\epsilon\nu\epsilon\rho\gamma\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu$, id est, omni-

ninò activum in verbis neutris ; ut ἀναβαίνω , id est , conscendo. Et αὐτουδέτερον , id est , per se neutrum ; ut πλουτῶ , id est , ditescō : omninò passivum , plusquam medium , seu plusquam commune : de quibus omnibus latissimè se expandit divisio , tùm apud Gazam , tùm apud Demetrium , de contractis , & de verbis in μ : De formatione temporum , de augmentò , &c. dicam interrogatus.

DE VERSIONE.

§. X.

GRammaticorum canones , seu praeceptiones , quae in declinationibus , & conjugationibus perlustrandis , & casuum , ac temporum terminationibus perdiscendis versantur , illuc maximè tendunt , ut quisquis transactò rudimentorum labore Graecos Auctores possit legere , & interpretari. Plurimum tamen refert , ut non quosvis Auctores sine delectu tyrunculi evolvant ; sed , prout Methodistae docent , cognitis utcumque Grammaticis praeceptionibus , unum , aut alterum Evangelistam propter sermonis facilitatem , candidamque simplicitatem , & non spernendam dictionem percurrere debent. Nos igitur horum exemplum sequuti D. Lucae Evangelium selegimus , necnon librum de Actibus Apostolorum. Scripsit Lucas Graecis , & ut ait D. Hieronymus stylò floridiori : Ambrosius etiam

agnoscit in eò stylum historicum. Tu ergo ex omnibus capitibus praedicti Evangelii, ac ex decem primis Actuum Apostolorum elige pro tuò velle: ego verò in latinum pro meâ tenuitate reddam. Sed scias oportet, quod interpretatio, nostra non sit *παρρησιαστικη*, ut ajunt & concinnior; sed adstrictior, & quae verbum verbo licet incultè reddens, hellenismos, Graecaeque orationis structuram, & genium ostendat, quod alitè fieri nequit, nisi latina interpretatio, totidem, quot in Graecis, verba reponat, & quò Graeca oratio discrimine a latinâ discrepant, perspicuè demonstret. Post singulas autem versiones exercitationem, ut vocant, ad tuum libitum *κατα το δυνατόν* facere non renuam. Hic enim singula vocabula, quae in contextu orationis reperientur, explanabo, & cujuscumque vocis Thema, sive radicem ostendam. Tu ergo nihil intactum relinque, quod ad istas minutias pertinere putaveris.

Τῷ Θεῷ Δόξα.

T E Λ Ο Σ.

IMPRIMATUR.

Lic. Perez Tafalla,

Rect.

agnoscit in eo stylium hinc inde. Tu ergo ex om-
 nibus capitibus praedicti Evangelii, ac ex decem
 primis Actuum Apostolorum elige pro tuo velle:
 ego vero in latinum pro tua tenuitate reddam.
 Sed scias oportet, quod interpretatio, nostra non
 sic magis est, ut a iure & consuetudine, sed ad
 ius, & quae verbum verba licet inculte reddens,
 hellenismos, Graecaeque orationis struendam, &
 genium ostendat, quod aliter fieri nequit, nisi la-
 tina interpretatio, totidem, quod in Graeco, ver-
 ba reponat, & quo Graeca oratio discrimine a la-
 tina discrepat, perspicue demonstraret. Por singu-
 las autem versiones examinationem, ut vocant, ad
 tuum libitum, ac te sicuti fuerit non terream. Hic
 enim singula vocabula, quae in contextu orationis
 reperiuntur, explanabo, & cuiuscunque vocis The-
 ma, sive radicem ostendam. Tu ergo nihil inre-
 tum relinque, quod ad istas minutas pertinet
 quaerenda.